



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Sacrum Oratorium Piarum Imaginum Immaculatæ Mariæ Et Animæ Creatæ Ac Baptismo, Poenitentia Et Eucharistia Innovatæ: Ars Nova Bene Vivendi Et Moriendi**

**Bivero, Pedro de**

**Antverpiæ, 1634**

Hymnus Compositus Ad Números Circumstantiarum Sacræ Eucharistiæ  
Cantatus Per Virgines Ad Números Svorum Insignium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47965](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47965)

# H Y M N V S

COMPOSITVS AD NUMEROS  
CIRCVMSTANTIARVM

SACRÆ EVCCHARISTIÆ

CANTATVS PER VIRGINES  
AD NUMEROS SVORVM INSIGNIVM.

**P**ERISTASES, siue circumstantiæ septem numero, pro actibus humanis à Philosophis & Theologis recensentur, quas numerat sanctus Thomas 1. 2. quæst. 7. artic. 3. comprehensas illo versu,

*Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Subiungit earum expositionem Angelicus Doctor: *Considerandum est enim in actibus, quis fecit, quibus auxiliis & instrumentis fecerit, quid fecerit, vbi fecerit, cur fecerit, quomodo fecerit, & quando fecerit.* Hæc omnia consideranda sunt in summo actu, quem fecit Christus, cum condidit Eucharistiam. Et quidem ad numeros harum circumstantiarum compositum Hymnum ab eodem sancto Thoma cantant non verbis, sed rebus virgines, ad numeros

Sff 2 suo-

508 SACRI ORATORII PARS VII.  
suorum insignium. Hic chorus nouem virginum  
nouem caelestium Musarum.

Canunt quis fecit

CAECILIA & DOROTHEA.

**P**ange lingua gloriosi  
Corporis mysterium,  
Sanguinisque pretiosi,  
Quem in mundi pretium  
Fructus ventris generosi  
Rex effudit gentium.

Canunt quid fecerit

CATHARINA ALEX. & CATHARINA SENES

Nobis datus, nobis natus  
Ex intacta Virgine,  
Et in mundo conuersatus,  
Sparsa verbi semine,  
Sui moras incolatus  
Miro clausit ordine.

Canunt vbi fecerit

AGATHA & CLARA.

In suprema nocte caena  
Recumbens cum fratribus,

*Observata lege plenè  
Cibis in legalibus,  
Cibum turbae duodenae  
Se dat suis manibus.*

Canunt quibus auxiliis & instrumentis fecerit

LUCIA & THERESIA.

*Verbum caro, panem verum  
Verbo carnem efficit:  
Fitque sanguis Christi merum,  
Et si sensus deficit:  
Ad firmandum cor sincerum  
Sola fides sufficit.*

Canunt cur fecerit

BARBARA & AGNES.

*Tantum ergo Sacramentum  
Veneremur cernui:  
Et antiquum documentum  
Novo cedat ritui:  
Præstet fides supplementum  
Sensuum defectui.*

Canit quomodo fecerit, & quando fecerit,

GLORIOSA IN ASSUMPTIONE MARIÆ

*Genitori, Genitoque*

*Laus & iubilatio,*

*Salus, honor, virtus quoque*

*Sit, & benedictio:*

*Procedenti ab utroque*

*Compar sit laudatio. Amen.*

SACRA EŪCHARISTIA

Ars artium benè viuendi, & benè

moriendi,

Figurata & illustrata.

Audi Hymnum, & attende ad imagines & signa CAECILIAE & DOROTHEAE. Ad hanc famam celebra, communica, & Viaticum sume.